



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus IX. Ne Sede Vacante, aliquid innovetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

sustineantur, quæ determinatè & in specie reprobantur, *arg. can. Non estimemus, 13. q. 2. c. Si Sacerdos 2. de Offic. Ordin. Et l. Si unus 27. §. 3. ff. de Pactis*: postea tamen à Bonifacio VIII. etiam ipsæ, & quæcunque aliæ promissiones, ad beneficia vacatura viam directè vel indirectè sternentes, generaliter prohibitæ & irritatæ sunt, *c. Detestanda 2. in 6. quod, perverforum hominum ambitione & audaciâ cum tempore crescente, alienæ mortis captandæ consiliis expositæ etiam ipsæ viderentur, Francus in c. cit. n. 2. ubi Barbofa n. 1. & Wagnereck in c. Nulla cit. §. Ne verò.* Cui recentiori Juri modernæ temporis usus non derogavit; quia illis loquendi modis & Signaturis spes sola, non res sive alicujus beneficii vel collationis aut præsentationis ad id obtinendæ jus supplicantibus quæritur, ut indubitatè liquet ex eo; quod aliquando ad eundem canonicatum vel parochiam Signaturæ dentur pluribus; & cum

postea vacant, quandoque aliis conferantur, non obstantibus ejusmodi Signaturis, & appellatione etiam vel querelâ eorum, quibus antè fuisse promissâ, poterant videri.

Rectè tamen in rem præsentem Wagnereck §. cit. advertit, Bonifacii VIII. didas promissiones irritantis Constitutionem & S. Synodi Tridentinæ, canonicos ad futuram præbendam recipiendi facultatem Episcopis & capitulis adimentis, decretum non ubique in rigore esse recepta; cum in pluribus Germaniæ nostræ Ecclesiis canonicos supernumerarios & futuras præbendas expectantes recipi, eorûmq; nomina Calendariis inseri videamus: & Consuetudinem, vi cujus in Ecclesia Salmantina duo canonici supernumerarii præbendas vacaturas expectantes recipiuntur, à Pio V. *Motu proprio confirmatam, testetur Barbofa in cap. 19. n. 3.*



## TITULUS IX.

### Ne Sede Vacante aliquid innovetur.



Occasione Collationis beneficiorum Ecclesiasticorum, Jure communi Episcopo competentis, præsentis Rubricæ agitur de potestate, quam Sede seu Prælatura, præsertim Episcopali, vacante circa eadem aliæque Episcopalia jura Capitulum habet.

#### ARTICULUS I.

#### De actibus vacante Sede Capitulo permiffis.

#### SUMMARIUM.

1. Episcopalis Sedis vacatio diversimodè inducitur:
2. Eaque indulta Episcopatus administratio competis Capitulo;
3. Ut hoc

3. *Ut hoc non solum expresse sibi permissa:*
4. *Sed generaliter omnia expresse non prohibita possit:*
5. *Et proposita Rubrica Edicti Prohibitorii rationem habeat.*
6. *Saltem extra materiam Beneficialium.*
7. *Capitulum Vacante sede potest I. condere & revocare Statuta;*
8. *II. Exigere subsidium Charitativum.*
9. *III. Cognoscere de omnibus causis, ad Episcopale forum pertinentibus,*
10. *Etiā Hereses, quando istius rei non sunt Exempti:*
11. *IV. In crimina & criminosos inquirere;*
12. *Et pro morum reformatione decernere Visitationem,*
13. *Etiā generalem totius diocesis:*
14. *Secundū aliquos DD. etiam Monasteriorum Monialium Exemplarum:*
15. *Quod ab aliis verisimilius negatur.*
16. *V. Ferre potest censuras &c. easque*
17. *Et plerasque irregularitates, delictō occultō contractas, relaxare:*
18. *VI. Varias Licentias concedere:*
19. *VII. Dispensare in Votis, Juramentis &c.*
20. *VIII. Sacerdotes ad excipiendas confessiones approbare &c.*
21. *IX. Titulorum beneficialium exigere exhibitionem:*
22. *X. Promovere executionem ultimarum voluntatum Piarum,*
23. *Hæcque aliquando commutare,*
24. *Et agere alia pertinentia ad Episcopi Ordinariam jurisdictionem.*

**E**piscolis Sedis Vacatio inducitur non solum morte Episcopi naturali: sed renuntiatione quoque, sive

istius Apostolicæ admittance, Depositione & Translatione: donec Ecclesiæ de alio Episcopo fuerit provilum, Glossa in *c. Si Episcopus 3. V. Mortem, de Suppl. neglig. in 6.* Imò & Captivitate; quamdiu enim Episcopus à Paganis, Hæreticis vel Schismaticis detinetur, & Ecclesiā suam administrare non potest, ejus Sedes & Ecclesiā pro Vacante, non quidem, ut prioribus casibus verè, sed fictè & civiliter habetur: eadēque ratio est diuturnæ absentia in locis ita remotis; ut Episcopus, qui nullò vicariò seu administratore constitutò ad ea se contulit, Ecclesiæ suæ administrationem neque gerere ipse, neque gerendam mandare seu committere aliis possit; cum hujusmodi absentia morti comparetur, Zabarella in *Clement. Unic. de Offic. Vicar. q. 18.* Laiman in *c. cit. §. Quare & Pirrhing ad Rubr. de Suppl. neglig. n. 16.* Quibus modis Episcopali aliæ Sede vel Prælatūra vacante, sicut jurisdictionem & administrationem Episcopalem, Abbatialem &c. de Jure penes Capitulum residere, omnino exploratum: sic

Dubium &, non minus difficilis quàm præjudiciosa resolutionis, controversia inter DD. est, quænam causæ & negotia vi jurisdictionis & administrationis, eò tempore penes se residentis, pertractari à Capitulo possint.

Et Glossa quidem in *Clement. 1. V. 3. Capituli, de Hæreticis, Archid. in can. Pontifices, 7. q. 1. Panorm. in Rubr. bic, Lambert. de Jure paron. Lib. 1. p. 1. q. 2. art. 9. n. 2. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 2.* statuunt Regulam Negativam; ut vacantis Sedis tempore Capitulo prohibita generaliter sint, quæcunque ei specialiter concessa non reperiuntur: contra quos Affirmativam Regulam propugnant Navarrus *Consil. 44. de Electione n. 1.* Pavinus *de Offic. & Potest. Capit. sede vac. p. 1. pr. q. 1. n. 3. Gut.*

n. 3. Gutierrez *Q. D. Canon. Lib. I. cap. II. n. 10.* Molina *Tract. 5. de J. & J. disp. II. n. 3.* Barbosa *in c. Illa 2. n. 3.* Fagnan. *in c. cit. n. 6.* Diana *p. 8. tract. 4. resol. 1.* Capitulo, vacante Sede, in exercitio jurisdictionis Ordinariae & rerum tam spiritualium quam temporalium administratione permiffa, afferentes, omnia, quae ei expresse prohibita non inveniuntur.

Illi ad Negativam Regulam praefendam moventur Primò generalitate propofitæ Rubricæ, *Ne sede vacante aliquid innovetur*, simpliciter prohibentis; ut adeo à Capitulo circa ea, quæ Ecclesiam istiusque prælaturam concernunt, innovari ac mutari nihil debeat aut possit: nisi ipsi à Jure expresse sit concessum. Secundò textibus *c. 1. ibi, Attendentes, quod sede vacante non debet aliquid innovari; cum non sit, qui Episcopale jus tueatur: & c. Illa 2.* ubi Honorius III. beneficia ad collationem Episcopi pertinentia à Capitulo conferri posse negans, eam reddit rationem; quòd *Nusquam inveniatnr cautum in Jure, quòd Capitulum fungatur vice Episcopi in collationibus præbendarum.* Tertio; quòd Capituli potestatem, dum illa vacat, generalem esse non fuerit necessarium; cum, si in iis, quæ à Jure specialiter indulta non sunt, aliquid innovari expediat, ad sedem Apostolicam recurri, ab eaque licentia impetrari valeat, *arg. c. Unic. de Cleric. Egrot. in 6.* neque etiam utile; cum administrationis concessio generalis Capitulo aniam præbeat electionem novi prælati protelandi, cum damno Ecclesiarum & periculo animarum, *c. Ne pro defectu 41. de Electione.*

His autem, & mihi quoque, Affirmativam varii textus Juris persuadent; cum ea non obscure desumatur ex *c. His que 21. c. Cum olim 14. de Majorit. & Obed.*

*& c. 1. eadem Rubr. in 6.* ex quorum, & præterim postremi istius textus, dispositione Capitulum in iis, quæ prælato competunt, succedit, præterquam in aliquibus specialiter exceptis: *& ex c. Si Episcopus 3. & c. fin. de Supplend. neglig. in 6.* ubi, sede propter Episcopi captivitatem fictè, & per ejus mortem verè vacante, administratio in temporalibus & spiritualibus Capitulo aperte adstruitur: nisi Ecclesiam à sede Apostolica aliter provideatur. Idem non minùs clarè supponit S. Synodus Trident. *Sess. 24. cap. 16. de Reformat.* ex cujus decreto Capitulum sede vacante decernere debet Oeconomum, qui temporalia, & Officiale seu Vicarium generalem constituere vel existentem confirmare, qui spiritualia nomine Capituli, ac proinde generaliter & quoad omnia non prohibita, administret. Id ipsum suadet ratio; quia Regula sive universalis propositio desumenda est ex pluribus: multò autem plura de Episcopi potestate Ordinaria, dum Sedes vacat, Capitulum potest, quàm ei prohibita reperiantur. Accedit; quòd generalis ejus administratio expediat Ecclesiam; ne, dum vacat, ipsa in rebus suis, & animæ etiam patiantur detrimentum, ut rectè observat Pavinus *cir. 9. l. n. 3.*

Neque periculum est; ne ex potestatis sibi competentis amplitudine Capitulum aniam accipiat electionis negotium protelandi; cum à Jure præfixum ei sit trium mensium ad Ecclesiam Cathedrali vel Regularem: ad Secularem autem Cathedrali inferiorem sex mensium tempus; ultra quod si Capitulum electionem Prælati, cessante legitimo impedimento, differat, eligendi potestate, propter ipsius negligentiam ad superiorem devolutà, pro ea vice privatur, *can. Obeuntibus 35. dist. 63. c. Ne pro defectu vit. & c. Nulla 2. de Concess. præb.*

Neque

5. Neque adversatur præfens Rubricæ quia habet se instar Ediçti Prohibitorii: quò quæcunque, ac proinde quæcunque Rubricæ illi subiectis aut aliis Juris textibus expressa & prohibita non reperiuntur, permiffa censentur, c. *Cùm apud 23. de Spons. & marrim. & l. Mutus 43. §. 1. junctâ Glossâ V. Ediçtum ff. de Procurat. Hostienf. in summa de Spons. & marrim. n. 9. pr.*

6. Haud paulò difficilior est c. *De illa cit.* textus: satis tamen expeditæ & in Jure etiam fundatæ sunt duæ ejus expositiones. Una Fagnani in c. *cit. n. 6.* eò traditam Regulam retringentis ad provisionem beneficiale, in qualibet dioecesi de Jure soli Episcopo competentem, *can. Nullus omnino, 16. q. 7. c. Admonet 4. de Renunt. c. Ex frequentibus 3. de Institut. & c. Cùm ex injuncto 12. in fine, de Hæreticis*, ibi, *Ad cuius*, Episcopi, officium iam institutio quàm desitutio Sacerdotum noscitur pertinere. Unde, cùm beneficiorum collationem sede vacante Capitulo competere, nuspiam cautum in Jure reperiatur, hæc ipsi meritò negatur, juxta c. *illa cit.* Altera aliorum, eandem Regulam retringentium ad Episcopatus vacantis jura & fructus, qui ex speciali dispositione Juris custodiri ac servari debent successori, *can. Hac hujus, 12. q. 2. & Cùm Vos 2. de Offic. Ordin. & c. Quia sæpe 40. de Elect. in 6.* & propterea, si servari possint, alienari sede vacante generaliter prohibentur: à qua prohibitione, respectu jurium & fructuum quidem generali (sed exceptione à Regula, Episcopatus vacantis administrationem Capitulo multò generalius concedente) cùm collatio beneficiorum, quæ inter Episcopalis dignitatis fructus numeratur, Glossâ in c. *Cum olim cit. V. Capitulo*, excepta nuspiam reperiatur, Capitulo meritò negatur: quantumvis aliàs generalis & in

Jure fundata sit Regula, Capitulo ea, quæ potestatis Ordinariæ sunt, & ipsi specialiter prohibita non reperiuntur, permittens.

Sede itaque Episcopali per prælati obitum, renuntiationem, depositionem verè, vel per ejus captivitatem &c. fictè vacante, Capitulum juxta Regulam hætenus stabilitam potest

7. Primò condere statuta dioecelana: dummodo iis Dignitati vel Mensæ Episcopali non præjudicetur, ut dictum *Lib. 1. tit. 2. n. 25.* cujusmodi statuta vacante sede condita, licet totam dioecesin obligandi vim planè obtineant, Episcopus tamen, cujus confirmatione sedes impletur, illa perinde, ut ab antecessoribus suis condita, revocare potest; cùm enim par in parem imperium & potestatem non habeat, c. *Innotuit 20. V. Quamvis, de Elect. & l. Nam & Magistratus 4. ff. de Recept. arbit. à successore revocari ex justa causa etiam licitè possunt, à quocunque antecessore, ut ad tempus etiam Capitulum est, condita statuta, Navarrus *Manual. cap. 25. n. 74. in fine* Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 15. n. 8.* & Molina *cit. disp. 11. n. 7.**

8. Secundò, ex manifesta & rationabili causa exigere subsidium Charitativum, Glossâ in c. *Cupientes, 16. V. Aliunde, de Elect. in 6.* Bellenz. *de Subsid. Charit. q. 7.* & Azor *p. 1. Instit. Lib. 9. cap. 14. q. 5.* quorum tamen ille *q. 47.* iste *q. 7.* rectè Capitulo negant potestatem condendi statutum, quò tale subsidium in futurum ex parte minueretur; quòd Episcopalia jura minuendi omni careant potestate: sed ea omni ex parte illæsa conservare teneantur, *arg. Rubr. c. 1. & c. fin. hic.*

9. Tertio, cognoscere de omnibus causis, ad Episcopale forum pertinentibus, etiam Beneficialibus, Decimalibus, Ma-

trimoni-

rimonialibus & Criminalibus; quantumvis enim hæc non inferiorum iudicio, sed Episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquenda afferantur à Trident. *Sess. 24. cap. 20. §. Ad hæc, de Reformat. Synodali* tamen hoc decretò Capitulum non excluditur; quia decretò isto excluduntur soli inferiores; Capitulum autem, vacante sede, non inferius Episcopo, sed ei propter jurisdictionem Episcopalem Ordinariam penes se residentem, quoad casus specialiter non exceptos, par est; ac proinde etiam Criminales & Matrimoniales causas, Episcopali jurisdictioni subiectas & specialiter non exceptas valet pertractare, *Quaranta Summa Bullar. V. Capitulum sede vac. q. 5. cit. Pavinus p. 1. q. 10. & Diana tract. 4. resol. 22.* & superior, etiam Apostolicus legatus de eis in prima instantia cognoscere, & ad partes ex domiciliis suis evocandas monitoria decernere non potest, vigore decreti Trident. *Sess. 24. cap. 20. de Reformat.* quia iudicium hoc Episcopo competit iure Ordinario: quò competentia sede vacante penes Capitulum residere, jam est dictum. Ex his

**10.** Dubium nascitur, an sede vacante Capitulum cognoscere etiam valeat de crimine hæreseos: in quo Marian. Socinus in *c. Ad abolendam 9. de Hæreticis n. 44.* & Zabarella in *Clement. 1. §. Duo, de Hæretic. n. 60.* Affirmativam sustinent indiscriminatim. Melius tamen ab aliis discrimen statuitur inter subditos dicecesanos & exemptos; cum, Episcopali sede vacante, Capitulum verisimilius in illos duntaxat, non etiam in hos, quando criminis hæreseos rei aguntur, procedere valeat: licet Episcopus procedat in utroque. Ratio est; quia sede Plena Episcopus in illos, sive subditos tantum suos, iure Ordinario: in hos autem sive exemptos merè Delegatò iure procedit, *c. cit.*

in cuius sine Lucius III. *A lege*, inquit, *diocesana jurisdictionis exempti in his, qua sunt contra Hæreticos instituta, Episcoporum subeant iudicium; & eis hac in parte tanquam à sede Apostolica delegatis (non obstantibus libertatis privilegio) obsequantur.* Capitulum autem sede vacante Episcopo in iis tantum, quæ iure Ordinariò competunt, succedit. Ita Pavinus. in *c. cit. n. 17.* ubi Joan. Andr. n. 15. Decianus *Tract. Criminalis Lib. 5. cap. 21. n. 14.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 186. n. 181.* & cit. Diana *resol. 37.* ubi, quamvis hæc de iure stricto ita sint, praxin tamen pro Capitulo stare, monet.

Quartò, in crimina & excessus, ubi & in delinquentes de illis diffamatos aut iudiciis gravatos procedere per viam Inquisitionis, & de criminibus atque excessibus convictis commeritas penas infligere, Frid. de Senis *Consil. 16. n. 1. in fine & Barbosa de Canon. & dignit. cap. 42. n. 102.* Unde

Dubium oritur primò, an vacante sede Capitulum pro morum reformatione constituere valeat dicecesis Visitatorem: quod cum Imola in *c. 1. hie & Joani Monach. in c. fin. de Suppl. neglig. in c. d. n. 5.* negant Boërius *decif. 2. n. 29.* & Fuscus *Lib. 1. de Visit. cap. 2. n. 20.* Movetur iure & ratione: & ex illo quidem allegant *c. fin. cit.* cuius pr. Bonifacius VIII. *Ecclesia*, inquit, *Cathedrali Visitator ab alio quam Romano Pontifice dari non potest:* quò non minus clarus est textus *Is cui 42. de Elect. in 6.* ubi idem Papa soli sedi Apostolicæ competere, ait, dare Ecclesiæ administratorem in spiritualibus & temporalibus, sicut est ejus Visitator generalis. Rationem reddunt partim; quia Capitulum, sede vacante, tantum potest necessaria. Glossa in *Clement. 1. de Hæret. V. Capituli & Pavinus p. 1. cit. p. q. 7. n. 7.* Visitatio autem dicecesis adeò

necessaria

necessaria non apparet, ut differri nequeat in tempus plenæ sedis futuræ. Joan. Monach. l. cit. partim verò; quia, si Capitulum deputare possit Visitatorem, ab isto exigi possent procurationes debitæ ratione Visitacionis, c. *Cum ex officio* 16. de *Prescript.* & c. *Procuraciones* 23. de *Censibus*: procuraciones autem visitatori, à Capitulo deputato, præstari non possunt; cum c. *Conquerente* 16. de *Offic. Ord.* numerentur inter fructus Episcopales, qui reservandi sunt futuro successori, c. *Cum Vos* 4. in *sine Rubr. cit.*

13. Statuendum tamen omnino est, vacante sede ad correctionem morum decerni à Capitulo posse visitationem, quæ non solum specialiter in particulare aliquod & in publicum diœcesis damnum vergens crimen, aut in particularem personam procedatur, sed etiam generaliter, crimine & persona particulari non expressis, correctio morum promoveatur: & ad hanc obeundam personam idoneam decerni, ut cum *Glossa V. Capituli cit.* & *Panormit. in c. Cum olim cit. n. 2. dub. 4.* defendunt *Sylvester V. Capitulum n. 3. Pavinus cit. q. 7. à n. 1. Tuschus Practic. V. Capitulum concl. 56. n. 12. Molina cit. disp. 11. n. 7. & Barbosa in c. fin. cit. à n. 3.* Ratio solida est; quia, sede vacante, penes Capitulum residet jurisdictio Episcopalis, præsertim necessaria tota, præter casus jure specialiter exceptos; Visitatio autem, per se aut etiam per deputatum Visitatorem obeunda, pertinet ad jurisdictionem Episcopalem Ordinariam ac necessariam; cum fiat ex necessitate Juris, *an. Relata, 10. q. 1. & c. Mandamus 6. de Offic. Ordin.* litque fere præcipuum remedium, extirpat erroribus sanam doctrinam inducendi & confirmandi, abusibus & pravis moribus sublatis clerum ac populum reformandi, cultumque divinum & animarum spirituale bonum promq-

veni, *can. Unic. dist. 85. c. 1. §. Sane, de Censibus in 6. & Trident. Sess. 24. cap. 3. §. Visitacionem, de Reformat.*

Neque Resolutionem hanc convellunt contra eam allegati textus; quia imprimis utroque sermo est de Visitatore, qui administrator generalis in spiritualibus ac temporalibus est totius Episcopatus: non de eo, cui diœcesis Visitatio committitur ad solam morum reformationem, ut utriusque lectio planum reddet. Deinde; quia c. *fin. cit. principio* Visitatorem constituendi facultas Capitulo non negatur, sed solummodo deceditur, Ecclesiæ vacanti, Capitulo invitò, Visitatorem dari à solo Apostolico, & nullo alio, superiore posse extra casum, quò administrationem Capituli negligenter & malè gerit: quò etiam casu illius deputatio soli Archiepiscopo, vocatò Capitulo præviâque cognitione, permittitur; cum enim hujusmodi Visitatori concedatur, quod communi jure competit Capitulo, hoc nullum constituyente & inauditò Visitatorem deputare potest solus Papa, qui solus supra Jus est, *Vivianus in c. cit. pr.* Quin proprio Capitulo Visitatorem constituyente, nec malè, allegatur c. *fin. cit.* cum enim istius *V. Nisi forte*, Capituli defectum supplendi & Visitatorem deputandi facultas Archiepiscopo adstruatur casu, quò Capitulum negligenter & perperam administrârit, non obscurè insinuatur ac supponitur, sede vacante penes ipsum Capitulum, sicut administrationem in spiritualibus ac temporalibus, sic & Visitatoris deputationem originaliter residere; cum in quovis negligente originaliter resideat munus, quod, eò negligente, per alium suppletur, c. *Sicut 2. c. licet 3. Sc. Rubr. cit. & c. Nulla 2. de Concess. præb.*

Non magis urget textus *Is cui cit.* quia isto difertè agitur de administratore cum plena & libera potestate omnia (ex-

cepta alienatione) exequendi, quæ potest Episcopus confirmatus: quæ omnia exequi cum nequeat ipsum Capitulum, cum ejusmodi plena ac libera potestate Visitatorem dare non valebit; quia nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet, *Reg. Nemo 54. ff. & 79. in 6. Pirrhing ad Rubr. de Suppl. neglig. n. 24. in fine.*

Minori, quam textus, vi possent rationes. Prior, cum; quia non raro in mora periculum est, præsertim si à Visitatione ultima longius tempus lapsum sit, & non appareat, Ecclesiæ de Pastore proximè providendum, Barbofa *cit. cap. 42. n. 70.* tum verò; quia sede vacante à Capitulari Visitatore aliquando deteguntur ac reformantur, quæ illà plenà ecculta vel intacta fuerunt. Posterior; quia fructus Episcopales sunt solæ procuraciones, præstantæ Episcopo dicecesin visitanti per se: non etiam, quæ aliis visitationem obeuntibus exhibentur; tales enim ipsis Visitantibus cedunt, *c. Procuraciones cit. ubi Glossa V. Personaliter & Panormit. n. 5.* cum, qui præstat Visitationis officium, recipere debeat beneficium procuracionis, Hostiens. *V. Personaliter cit. & Pirrhing ad Rubr. de Censibus num. 68. in fine.*

14. Dubium secundò & difficilis resolutionis controversia est, an Capitulum visitare etiam valeat monasteria Monialium exempta; quantumvis enim hujusmodi monasteriorum visitatio Episcopo, tanquam sedis Apostolicæ delegato, committatur, *Clement. fin. de Statu Monach. & à S. Synodo Trident. Sess. 25. cap. 9. de Regular. atque idcirco, eam ad Capitulum non transire, statuendum primò occursum videatur; quòd ad hoc generaliter non transeat ea, quæ jure solùm delegatò Episcopis competere dignoscuntur: non desunt tamen magni nominis Docto-*

res, qui monasteria illa Visitandi potestatem vacante sede Capitulo adstruant cum *Rodriquez Tom. 1. Regular. q. 6. art. 9. Molina cit. disp. 11. n. 8. & Moneta de Commutat. ult. Volunt. cap. 5. n. 23.* & ex iis, quæ Episcopo tanquam delegato Apostolico competunt, eas solùm causas & negotia ad Capitulum transire negant, quæ Episcopis sub nomine dignitatis in particulari committuntur; cum enim Capitulum Episcopus non sit, talem delegationem ad solùm Episcopum in dignitate successorem, non etiam ad Capitulum, transire haud agrè concedunt. Ea verò, quæ Episcopis, tanquam sedis Apostolicæ delegatis, committuntur à Jure; ut ex officio & munere suo ipsis, præsertim in eorum, in quos delegata jurisdictio exercenda est, vel in Ecclesiæ aut aliorum bonum competant, per quamdam Episcopiam ad Capitulum transire volunt, nisi apponatur aliquid, quò hujusmodi transitus impediatur. Rationem reddunt quia talia eò ipsò, quòd Episcopali muneri à Jure & in perpetuum annexantur, ad Ordinariam jurisdictionem Episcoporum in posterum pertinere videntur. Cum ergo exemptorum monasteriorum Monialium Visitatio Episcopali muneri ab ipso Jure & perpetuò annexa fuerit *Clem. fin. & cap. 9. cit.* ea quoque instar aliorum causarum, ad Ordinariam Episcopi jurisdictionem pertinentium, vacante sede ad Capitulum transibit, *vigore Clem. & cap. 9. cit.* cum verisimile non sit, Concilii mentem fuisse, ut exempta Moniales vacantis sedis tempore totò gubernationis tam salubri præsidio carerent.

Sed, licet consideratio hæc Affirmati-  
væ non leve patrocinium præstet, Jure tamen spectatò, exemptarum Monialium Visitationem vacante sede ad Capitulum transire, cum *Frid. de Senis Consil. 291. verisimiliùs negant cit.* Pavinus p. 1. q. 7. Garcia



Garcias p. 5. de Benefic. cap. 7. n. 45. Tufchus V. Capitulum cit. conclus. 56. n. 50. Diana cit. tract. 4. §. Sed bis. Barbosa alleg. 73. n. 25. & alii, Rotæ decisionibus in eam rem allegatis. Ratio est; quia potestas à Papa alicui sub nomine dignitatis delegata non transfertur ad eos, qui tali dignitate carent: visitatio autem Monialium exemptarum à Papa Episcopis delegata est sub nomine dignitatis; ut eam obeundò non jurisdictionem suam Ordinariam, sed delegatam à Papa, istiusque autoritate & nomine exerceant.

Neque generaliter ea, quæ Episcopis à Jure & perpetuò committuntur, indiscriminatim jurisdictionis eorum Ordinariæ sunt; quia id verum solummodo est, quando simpliciter, & non tanquam delegatis Apostolicis committuntur; cum enim ita à Papa commissa nunquam propriò: sed alienò, scilicet ipsius Papæ committentis jure, autoritate & nomine semper pertractentur, ad jurisdictionem Episcoporum Ordinariam non pertinebunt, per tradita Lib. 1. tit. 29. n. 9.

Neque propterea vacantis Sedis tempore malè consultum est Monialibus exemptis; cum eò tempore visitari queant à Prælatiis suis exemptis, à Legatis à latere & fere ab aliis cum talium potestate Missis; imò, si necessitas urgeat, ab ipso Capitulo ex jurisdictione sua Ordinaria: sicut ex ista illas visitare urgentis necessitatis casu Episcopus potuit, antequam potestatem à Jure delegatam obtineret, cit. Garcias n. 47. Diana §. Ex bis, & Fermosin Tract. 1. q. 22. n. 3.

16. Quintò, vacante Sede ferri à Capitulo possunt excommunicationis aliæque censuræ, c. Ad abolendam 9. de Hæreticis: depositionis, aliæque poenæ Ecclesiasticæ, & Cessatio à divinis im-

poni, arg. c. Unic. de Majorit. & Obed. cum in omni jurisdictione, specialiter non excepta, Episcopo succedat: istiusque non vicarius sit, sed successor, Glossa in c. cit. V. Impertiri, Panormit. in c. Cum olim cit. not. 1. & Frid. de Senis Consl. 30. n. 6. Ex qua ratione & c. cit. textu illi etiam competit absolutio à censuris, tam à Jure quam ab homine latis, omni casu, quò absolutionem impertiri jurisdictione suâ Ordinariâ Episcopus potest, adeò; ut, sicut Episcopus, c. Pervenit 17. de Sent. excom. sic etiam Capitulum ab excommunicatione, levi percussione clerici contractâ, absolvere, Glossa in c. Unic. cit. V. Juris, in Addit. & Diana cit. tract. 4. resol. 12. pr. & dispensare etiam valeat in irregularitatibus ac suspensionibus, provenientibus ex delicto occulto: exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & aliis ad forum contentiosum deductis, Trident. Sess. 24. cap. 6. de Reformat. Suarez de Censuris disp. 32. §. 2. n. 4. Piafec. Prax. Episcop. p. 2. c. 1. n. 16. Garcias p. 5. de Benefic. cap. 7. n. 41. cit. Diana resol. 7. & Barbosa cap. 42. n. 82. quòd, licet ea dispensandi facultas cap. 6. cit. specialiter concessa sit Episcopis, his tamen competat Jure communi, & pertineat ad Episcopalem jurisdictionem Ordinariam, vacante Sede penes Capitulum residentem.

17. Sextò, idem dispensare valet in denuntiationibus matrimonialibus, & assistere hujusmodi contractibus: uti & dare licentiam his assistendi aliis sacerdotibus, juxta Trident. Sess. 2. cap. 1. de Ref. matr. Sanchez Lib. 3. de Matrim. disp. 28. n. 5. & Gutierrez de Matrim. cap. 66. n. 9. novitiis de bonis suis disponendi, juxta ejusdem Concilii Sess. 25. cap. 16. de Regular. cit. Diana resol. 53. aliis, jussu causâ poscente, in-

X 3

gredien-

grediendi monasteria monialium, & his ex illis egrediendi, *Sess. cit. cap. 5. de Regular. Palao Tract. 16. disp. 4. p. 9. n. 10. & p. 10. §. 2. n. 2. cit. Diana resol. 49. & Barbosa alleg. 102. n. 28. in fine*: clerico subito ex peregrinationis aliave justa causa à loco beneficii ad tempus recedendi, imò & perpetuò ad aliam dicecesin transeundi, *cit. Panormit. in c. Cum olim, n. 2. & Pavinus p. 1. q. 8. n. 1.* ædificandi Ecclesiam & fundandi beneficium Ecclesiasticum, etiam; ut ædificans ac fundans in iis acquirant jus Patronatus, ut cum *cit. Pavino p. 2. q. 5. n. 5. & Viviano p. 1. de Jure patronat. lib. 2. cap. 1. n. 12. contra Steph. Gratian Discept. forens. cap. 303. à n. 10. sustinent cit. Garcias cap. 7. n. 79. Barbosa alleg. 70. n. 23. & Diana resol. 54.* quòd talis licentiæ concessio actus sit jurisdictionis Ordinariæ Episcopalis, *Calderin. de Jure patronat. Consil. 3.*

19. Septimò, dispensare in votis & juramentis, non tamen in reservatis; in petitione debiti conjugalis; in observatione festorum ac jejuniorum, & aliis casibus, quibus ob difficultatem recursus ad Sedem Apostolicam dispensatio Episcopo est permessa: uti & cum illegitimis ad beneficia simplicia & Ordines minores; quòd hæc etiam potestas Episcopo communi Jure competat, *c. 1. de Filiis presbyt. in 6. & Capitulo nuspian de negetur.* Ratio omnium est; quòd, si ea Capitulo permessa non essent, dicecesibus vacante Sede satis consultum non esset; cum dispensationem in prædictis frequenter exposcat necessitas aut magna utilitas subditorum, *cit. Molina disp. 11. n. 5. Diana resol. 23. & 45. & Barbosa cap. 42. n. 81.*

20. Octavò, approbare & exponere sacerdotes pro excipiendis pœnitentium confessionibus, usque concedere facultatem

absolvendi à peccatis ac censuris Episcopo reservatis, *cit. Molina n. 5. & Barbosa n. 64.* uti & ejusmodi facultates & approbationes, etiam ab Episcopo vivente obtentas, revocare, *cit. Diana resol. 40.* ubi restè advertit, generali approbationis revocatione non affici Religiosos Mendicantes; & si istorum mentionem faceret expressam, nullius esse momenti; quòd, ne ipsorum approbatio Episcopalis, vacante Sede, revocari à capitulo valeat, muniti sint privilegio Apostolico, indultò à Clemente IV. cui à S. Synodo Trident. *Sess. 23. cap. 15. de Reformat.* non derogatum ostendit.

Nonò, clericos beneficiatos subditos suos compellere ad ostendendos titulos suorum beneficiorum; & si duo vel plura incompatibilia simul obtineant, ad exhibendas legitimas dispensationes, super pluralitate impetratas; licet illa trienniò pacificè possederint, *Glossa in Reg. 1. V. Obtrineri*; quòd, licet Regula de Triennali possidere non solum tertius, possessorem super beneficio inquietans, sed ipse etiam Ordinarius excludatur, per tradita *Lib. 2. tit. 26. n. 115.* ab isto tamen tituli exhibitio exigivaleat; ut constat de bona fide possessoris; & an titulum habeat coloratum, sive beneficium ab eo, ad quem pertinet, acceperit, ut *ibidem* dictum, & rectè notat *Lugo Tract. de 1. & 1. disp. 7. n. 110.*

Decimò, sicut Episcopus, *c. Nos quidem 3. de Testament. sic & Capitulum*, vacante sede, compellere valet executores testamentorum; ut pias defunctorum voluntates exequantur, & executionis peractæ reddant rationes: quas etiam exigere potest ab administratoribus Piorum locorum, *cit. Diana resol. 24. & Barbosa cap. 42. à n. 75. & ipsas etiam defunctorum voluntates, justà causâ possente,*

scnte; commutare iis casibus, quibus illas jure Ordinario commutare Episcopus potest. Secus est illis casibus, quibus voluntates illas Episcopus commutat jure delegationis seu commissionis Apostolicæ; cum tales ad Capitulum non transeant: sed, si factæ expressò nomine personæ, cum ista expirent: si autem factæ sint sub nomine dignitatis, ad successorem cum ista transmittantur, & Quoniam 14. de Offic. deleg. ut ad hanc Rubr. à n. 80. dictum est, & cum Moneta de Commutat. ult. volunt. cap. 5. n. 427. tradit cit. Diana ref. 34.

24. Demum generatim facere, vacante sede, Capitulum potest cætera, quæ vi jurisdictionis suæ Ordinariæ Episcopus potest, & à laudatis Pavino à p. 1. q. 3. Molina disp. 11. à n. 4. Diana Tract. 4. à resol. 4. Barbosa Jur. Eccles. lib. 1. cap. 32. à n. 62. & Fermosino Tract. 1. de Capitul. sede vac. à q. 1. latè declarantur.

ARTICULUS II.

De actibus Vacante Sede Capitulo interdictis,

SUMMARIUM.

- 25. Potestas Capituli Vacante Sede vè restricta est:
- 26. Ex I. quidem nequit conferre beneficia,
- 27. Spectantia ad solius Episcopi liberam collationem:
- 28. Nisi ea debita certis personis,
- 29. Devoluta, vel dimissa ex causa Permutationis,
- 30. Vel eorum collatio per accidens Capitulo sit permissa.

- 31. II. Secundùm aliquos admittere resignationes;
- 32. Quarum admissio verius Capitulo competit.
- 33. III. Decernere beneficiorum uniones:
- 34. Quas faciendi potestas illi rectè adstruitur.
- 35. IV. Supprimere Canonicatus & Præbendas:
- 36. V. Alienare res Ecclesiasticas,
- 37. Si ea immobiles vel pretiosæ sint,
- 38. Et non urgeat casus valde magna necessitatis:
- 39. VI. Easdem ab Episcopali ad Capitularem Mensuram transferre:
- 40. VII. Super iisdem rebus subire iudicium:
- 41. Nisi res pertineant ad solius Capituli administrationem,
- 42. Vel urgeat notoria necessitas:
- 43. VIII. Licentiam Ordinandi vel literas Dimissorias dare subditis, non archidiaconis:
- 44. IX. Concedere Indulgentias:
- 45. X. Novum monasterium adificandi licentiam dare:
- 46. XI. Facere, qua Episcopo ex Privilegio,
- 47. XII. Vel ex delegatione Apostolicæ competunt.
- 48. Jurisdictio Episcopalis à Capitulo per Vicarium exercetur.
- 49. Temporalia administrantur per Oeconomum,
- 50. Et alios Officiales constitutos.

**F**irmata hæcenus & exemplis illustrata Regula, de Ecclesiæ administratione, sede vacante, Capitulo competente, generalis quidem: at non perpetua est; cum Jure prodiatæ reperiantur ab ea non pauca exceptiones & casus, quibus ea Capitularis ad-

ris administrationis & jurisdictionis generalitas, ne in Ecclesiæ damnum & principalis dignitatis præjudicium facile vertatur, merito est restricta.

26. Primò enim, sede vacante, Capitulo denegata est collatio beneficiorum Ecclesiasticorum, de Jure spectantium ad solius Episcopi liberam collationem, *c. Illa 2. hie & c. 1. pr. de Institut. in 6.* quantumvis ad eorum collationem consilium aut etiam consensus Capituli requiratur, *c. Unic. §. Cum verò in 6.* aut beneficium, Episcopò vivente, aut in ipsius mense jam ceperit vacare, Molina *Tract. 13. disp. 5. disp. 11. n. 11.* & Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 39. n. 8.* Ratio est; quia collatio, sive libera concessio beneficii est gratia quædam & donatio, *c. fin. de Offic. Vicar. in 6.* saltem quatenus uni potius quam alteri clerico fit: & inter Episcopalis dignitatis fructus connumeratur, *Glossa in c. Cum olim 14. V. Capitulo, de Majoris & Obed. à donationibus autem Capitulum abstinere, & dignitatis illius fructus successori servare debet, c. Cum vos 4. de Offic. Ordin. & c. Quia sepe 40. de elect. in 6.* Quæ ratio etiam evincit, Capitulum Episcopo non succedere in nominatione & præsentatione huic competente; quia etiam istæ, eùm in præsentato jus non supponant, donationes, *c. fin. de Concess. præb. & fructus quidam sunt dignitatis Episcopalis, Pavinus de Capitul. sede vac. p. 2. q. 5. n. 3. Lambertin. Lib. 2. de Jure patronat. q. 2. art. 4. & Garcias p. 5. de Benefic. cap. 7. n. 52.*

27. Dixi autem, *Ad solius Episcopi, & Liberam collationem.* Prius; quia beneficia, spectantia ad collationem Episcopi & Capituli simul, illò defunctò, renuntiante, translato &c. solum Capitulum: & contrà, istò suspensò vel omnibus capitularibus majoris excommunicationis

vinculò ligatis, aut aliter impeditis, solus Episcopus conferre potest, ex Constitutione Bonifacii VIII. relata *c. Unic. pr. in 6.* eùm enim Episcopus & Capitulum quoad ea, quæ ab ipsis simul seu communiter faciendæ sunt, censeantur unum corpus, *c. Novis 4. de his, quæ à prælat. illorum unò deficiente aut ad conferendi actum redditò inhabili, conferendi jus devolvitur ad alterum, Glossa in pr. cit. V. Etiam si, ubi Franc. pr. & Barbosa n. 5.* Posterius; quia in concessionibus beneficiorum necessariis, sicut præsentati institutio, electi confirmatio, uti & beneficiorum nominatis jam debitorum collationes sunt, Episcopo Capitulum succedit, *c. Cum olim & c. 11. cit.* eùm hæc sint actus jurisdictionis necessariæ: quam vacante sede penes Capitulum residere, res est satis explorata, Panormit. *in c. Ma cit. n. 6.* laudati Pavinus n. 2. Garcias n. 54. & Molina n. 11.

Ex simili causa Capitulum, sede vacante, conferre valet. Primò beneficia, quæ vi suæ institutionis seu foundationis debentur alicui certæ ac determinatæ personæ, v.g. clerico seniori ex familia fundatoris, aut huic proximiori; quia tali collatio respectu ejusmodi personæ necessaria est: & gratia, non tam Episcopi vel Capituli conferentis, quam ipsius fundatoris, proximiorum aut alium de familia extraneo præferentis, *cit. Garcias, eùmque secutus Diana p. 8. tract. 4. resol. 26.* Aliud esset, si beneficium non alicui determinatæ personæ, sed certo generi personarum, hoc est, alicui ex certa familia, collegio, civitate debitum esset; ejus enim vacantis collationem, eùm libera & respectu collationis gratiosa sit, à Capitulo fieri posse, merito negat Gonzalez *ad Reg. Cancell. 8. gloss. 45. n. 19.* Secundo, beneficia, propter

Propter inferioris collatoris negligentiam seu culpabilem moram, ad Episcopum devoluta, ut cum Joan. Andr. in 2. *Quamquam* 18. de *Elect.* in 6. Molina *cit. disp.* 11. n. 12. & aliis dictum est *Lib. 1. tit. 10. n. 10.* Tertiò, vacantia ex causa permutationis, quando hæc necessaria est; vel illorum ex tali causa resignationem Episcopus quidem jam admittit, sed morte præventus ea resignantibus non potuit conferre, ut infra *Tit. 19. à n. 19.* statuatur; quia hujusmodi collatio necessariæ jurisdictionis est actus. Quartò beneficii vacantis curam & administrationem alicui idoneo clerico, assignatò ei congruò stipendiò, commendatè, vacante sede, Capitulum potest: donec illud ab eo, ad quem pertinet, alicui conferatur, ut cum *cit. Panormit. n. 4. Molina n. 11.* & aliis rectè advertit Pirthing *ad banc Rubric. n. 11. §. Et hinc.*

30. Imò conferre etiam potest uni ex pluribus, ad idem beneficium simul, vel a patrono laico successivè præsentatis, vel eò neminem præsentante, sed, cui voluerit, conferendi potestatem ipsi concedente; quantumvis enim tali casu exerceat actum gratiæ & liberalitatis, hoc tamen facit per accidens & ex concessione saltem tacita ipsius patroni, cum unum possit, plures vel nullum præsentandò, ex pluribus unum, vel quemcunque velit, deligendi potestatem in Capitulo transferentis, *Diana cit. resol. 20. §. Nec obstat.*

31. Secundò, admitti à Capitulo non posse resignationes beneficiorum, ad Episcopi collationem pertinentium, cum Glossa & Archidiacono in *can. Fraternalitatem* §. *V. Licentiam* *disp. 71.* docet Rebuffus in *Praxi, Tit. de Devolut. n. 94.* cum; quòd esse videantur actus jurisdictionis Voluntariæ: tum verò; quòd

resignationis admissio sit beneficiati quædam destitutio: destituere autem non valeat, qui nequit conferre, *arg. c. Cum ex injuncto* 12. in *fine, de Hæreticis*, ubi institutio & destitutio sacerdotum eidem tribuitur.

Sed rationes istæ leviores sunt, quàm ut intentum evincant; quia imprimis resignationis ex justa causa factæ admissio Necessariæ jurisdictionis est actus. Deinde; quia, dum sedes vacat, non Necessariam tantum, sed Voluntariam quoque jurisdictionem penes Capitulum residere, Joan. Andr. in *c. Unic. de Majorit. in 6.* Frid. de Senis *Consil. 30. n. 2. Garcia cit. cap. 7. n. 2. Gutierrez Q. D. Canon. lib. 1. cap. 11. n. 11. Molina cit. disp. 11. n. 5. Sanchez Lib. 8. de Matrim. disp. 7. n. 10.* & aliorum præcipui nominis DD. sententia est; quòd jurisdictio voluntaria Jure expressa & excepta non reperitur. Demum; quia instituendi & destituendi potestates sunt diversæ, & aliquando etiam in Episcopis separatæ; cum admittere valeant resignationes beneficiorum, Sedis Apostolicæ dispositioni reservatorum, testibus Frid. de Senis *de Permutat. benefic. q. 36. n. 62. Flamin. Lib. 7. de Resignat. q. 14. n. 7.* & aliis apud *cit. Dianam resol. 29.* sicut contrà etiam instituendi potestas aliqua respectu præsentatorum Capitulo competit, *c. Unic. cit. pr. in 6.*

Quare, etiam resignationes admitti à Capitulo posse, cum *cit. Panormit. n. 2. V. Sextò Franco in c. Unic. cit. de Majorit. n. 5. Pavino cit. p. 2. q. 2. n. 11.* & aliis rectè defendit *cit. Flamin. Lib. 7. q. 23. à n. 20. § 31.* Ratio est; quia resignatio admitti potest ab eo, qui destituere potest invitum, Innocent. in *c. Quod in dubiis* §. *de Renuntiat.* cum; quia resignatio sive istius admissio vim habet destitutionis, *cit. Flamin. q. 10. n. 7.* tum verò; quia

quia invitum destituere plus est, quàm destituere volentem, quod fit per admissionem resignationis: invitum autem destituendi potestas, sede vacante, penes Capitulum est, *Extravag. Execrabilis Joan. XXII. de Præbend. & dignit.* cuius §. *Ceterum*, recipiens secundum beneficium curatum, primum etiam invitum dimittere debet in manibus Ordinarii, hoc est, Episcopi vel sede vacante Capituli, ut *ibi* Papa declarat. Unde Capitulum, si alicujus beneficii, ad solius Episcopi collationem pertinentis, resignationem admittat, aut eò beneficiatum delinquentem privet, id commendare debet clerico idoneo, qui ejus curam & administrationem gerat: donec à novo Episcopo confirmato alicui in titulum perpetuum conferatur, *cit. Diana resol. 4. §. Major.*

33. Tertiò ab eo, sede vacante, Ecclesias & beneficia uniri posse, cum Pavino *cit. p. 2. q. 3. n. 17.* negat Azor *p. 2. Instit. lib. 3. cap. 38. q. 9. partim*; quòd Capitulum careat potestate ea conferendi, *c. Illa cit.* quâ major est potestas beneficia uniendo; cum non competat prælatis inferioribus, quantumvis beneficia conferendi habeant potestatem: partim verò; quòd Capitulum derogare nequeat juri Episcopi, *c. 1. hic*: per unionem autem ei derogetur; cum, eà factâ, Episcopus pro duabus collationibus facere possit tantum unam.

34. Sed verius uniendo potestatem ei cum Felino *in c. Cum olim cit. n. 9.* Petr. de Perusio *de Unionibus cap. 5. n. 28.* & *cit. Garcia p. 12. cap. 2. n. 67.* adstrunt sibi contrarius Azor *Lib. 6. cap. 28. q. 9.* & alii DD. relatis, Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 65. n. 11.* dummodo unio non fiat in favorem Capituli, eaque jus Episcopi non diminuat: sicut contingeret, si huic subjecta Ecclesia vel beneficium alicui ei non subjectæ Ecclesiæ

vel beneficio conjungeretur. Ratio est; quia unio est actus jurisdictionis Ordinariæ, non gratiosæ & Voluntariæ, ut collatio, sed Necessariæ; cum non nisi exigente necessitate vel utilitate suadente fiat.

Contra Capitulum deducta caret difficultate. Primum; quia, esto major sit potestas uniendo quàm conferendi, non tamen, ut ista, tendit ad exercendam liberalitatem & gratiam: propter quam causam ad Episcopi collationem pertinentia beneficia conferendi potestas Capitulo negatur *c. Illa cit.* Alterum; quia per unionem duo beneficia conjunguntur, quin Episcopale jus preat; cum utrique Ecclesiæ providere etiam valeat post unionem, ut rectè observat Palao *Tract. 13. disp. 6. p. 12. §. 2. n. 12.*

Quartò, vacante sede, ad Capitulum non transit facultas suppressendi canonicatum vel præbendam, ex causa auctionis distributionum quotidianarum, vel reddituum aliarum præbendarum, proventus ad beneficiati sustentationem sufficientes non habentium, Episcopis competens ex decreto S. Synodi Tridentinæ *Sess. 24. cap. 15. de Reformat. cit. Azor p. 2. lib. 3. cap. 38. q. 9.* Moneta *de Distribut. p. 1. cap. 15. à n. 29.* Diana *cit. tract. 4. resol. 50.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 67. n. 3.* partim; quia ea facultas Episcopis cum Capituli sui consensu concessa est sub nomine dignitatis, ad solos in Episcopatu successores transeuntis. Ex qua præbendas suppressendi facultatem Abbatibus aliisque prælatis, tam Secularibus quam Regularibus, etiam exemptis, Ordinariam & quasi-Episcopalem jurisdictionem obtinentibus competere, cum DD. *cit.* negat Palao *Tract. 13. disp. 6. p. 8. §. 9. n. 2.* partim verò; quia ea suppressio species quadam est alienationis, præter justam causam exposcens

Exposcentis consensum Capituli, c. 1. e. Tua nos 8. Sc. de lris, quæ à prælat. & huic, vacante sede, non permittitur; c. Si qua de rebus, 12. q. 2. Sc. Quia sæpe 40. de Elect. in 6.

36. Quintò, Capitulum, vacantis sedis tempore toto, alienare nequit res & bona Ecclesiæ, can. Si qua cit. sed ea custodire ac servare debet prælati successori, can. Hac hujus c. Quia sæpe cit. Sc. Clement. Statutum 7. de Elect. Eâ tamen in re opus est distinctione inter bona, quæ servandò possunt servari: & ea, quæ tempore sunt interitura. Ex quibus

Illa, sive quæ servari nequeunt, à Capitulo vel ab hoc deputato Oeconomo alienari, etiam superioris autoritate non interveniente, permittuntur: sicut à tutoribus distrahi valent hujusmodi res pupillares, l. Tutor 7. §. 1. ff. de Auth. tutor, Sc. Lex qua 22. in fine. ff. de Administr. tutor. & merito; cum, si sedis vacantis tempore distrahi ejusmodi res non permitterentur, alienationis prohibitio ob Ecclesiæ favorè introducta, in ejus dispendiũ retorqueretur, contra Regulã Quod ob gratiam 61. in 6. Panormit. in c. 1. n. 7. & Pirthing ad hanc Rubr. n. 2.

37. Illa verò, & præsertim bona immobilia Ecclesiæ & mensæ Episcopalis, alienari à Capitulo sine Sedis Apostolicæ licentia non posse, satis clarè desumitur ex c. 1. cit. ubi Ecclesiæ Cathedrali factæ unionis dissolutio post Episcopi obitum Capitulum non permittitur ex ea ratione; quòd Episcopali sede vacante non debeat aliquid innovari; cum prælatò, tanquam propriò Ecclesiæ defensore, defunctò, non sit, qui Episcopale jus tueatur; cum enim judicium, cujus eventus dubius est, contra Ecclesiam vacantem agitari non permittatur c. fin. multò magis prohibitum esse oportuit ejus rerum alienationem, quæ sonat in malam par-

tem, & reipsa videtur esse damnosa, Panormit. n. 7. cit. & cum eo Vivianus in c. cit. Confirmantur ista; cum enim ipse Episcopus Ecclesiæ inferioris vacantis bona alienare nequeat, nisi prius ei curator sive administrator vel alius legitimus defensor deputetur, c. 1. de Reb. Eccles. alien. in 6. multò minùs bona vacantis Episcopatus alienare licebit Capitulo: nisi prius ipsi deputetur visitator sive administrator, quem assignare de Jure solus Papa potest, c. Is cui 42. de Elect. in 6. Sc. c. fin. de Suppl. neglig. in 6. Imò ex prioris textûs dispositione etiam ab isto vacanti Episcopatu datus administrator, quantumvis non solorũ Spirituum sed temporalium quoque plenã administrationem obtineat, immobilia tamen ejus bona nequit alienare. Quantò minùs id poterit Capitulum, cujus minor quàm hujusmodi administratoris est potestas, cit. Panormit. n. 7. & Molina cit. disp. 11. n. 15.

38. Rectè tamen Doctor iste excipit casum urgentis valde magnæ necessitatis ita; ut neque alienatio differri ad futurum successorem, neque pro alienandi licentia ad sedem Apostolicam valeat recurri; tum enim, præmissò tractatu & cognitã causã, alienatio ei permittitur foret; quia necessitas licitum facit, quod aliàs de Jure non est permittum, arg. c. Licet 3. de Feriis.

39. Sextò, multò minùs quàm alienare in alios, bona, ad mensam Episcopalem pertinentia, transferre Capitulum sine Sedis Apostolicæ autoritate potest ad suam sive Capitularem; idque non solum; quòd vacans prælatura seu dignitas Episcopalis careat legitimò defensore: sed etiam; quòd ita Capitulum in proprio factò, sive in commodum & utilitatem propriam præstaret autoritatem, contra Regulam l. Pupillus 5. pr. ff. de Auth. tutor. c. fin. de Institut. & præfer-

præsertim *Clement. 2.* junctâ *Gloſâ 7. Mensa, de Reb. Ecclef. alien.* Interpp. ibi aliôsque DD.

40. Septimò, neque alienare duntaxat, sed judicium etiam sive litem super Ecclesiæ bonis & juribus inchoare, aut à prælato defuncto ante obitum inchoatam, sive agendò sive respondendò, prosequi, vacante sede, Capitulum prohibetur *c. fin.* ubi ab Honorio III. tanquam invalidæ reprobantur depositiones testium, vacante & legitimò defensore carente Ecclesia, receptæ. Ratio est; quia ex una, Ecclesia fungitur vice & gaudet jure minoris, *c. 1. & c. Auditis 3.* De *integ. restitut.* ex altera verò parte, judicium & sententia contra minorem, tutore & curatore carentem atque indefensum, lata non tenet, *l. Alia 45. §. fin. & l. Contra 54. ff. de Re judic.* Unde, ut judicium & sententia contra Ecclesiam lata teneat, Visitatorem vel administratorem ad effectum agendi à Papa ei dari est necesse, *arg. c. Is cui cit. Panormit. in c. fin. cit. n. 5. Gigas de Pensionibus 9. 65. n. 5. & Barbosa in c. fin. cit. n. 3.*

Hac tamen in re opus est geminâ distinctione. Unâ inter ipsas Ecclesias; cùm, si Ecclesia Cathedrali inferior & Episcopo subiecta sit, ejus vacantis Capitulum seu conventus, interveniente autoritate Episcopali, tanquam superioris & prælati sui immediati, Ecclesiæ vel monasterii sui jura, agendò & respondendò, tueri in judicio possit præsertim, si id exigat necessitas aliqua, vel vacatio diu sit duratura. Si autem Ecclesia Conventualis aut Collegiata non sit, ejus præsertim diutius vacantis res & jura tueri Episcopus possit, Panormit. *in c. fin. cit. n. 4. & Laiman Traët. de Alienat. Canon. n. 49.*

41. Si verò Ecclesia Cathedralis, aut istâ quidem inferior, sed tamen exem-

pta sit, loctis est alteri distinctioni inter res seu bona & jura, super quibus orta controversia exigit cognitionem definitionemque judicialem; cùm, si ista propria ipsius Capituli, à prælaturæ bonis divisa &, quoad administrationem etiam, separata sint, super iis convenire & conveniri in judicio, vacante imò etiam plenâ sede, Capitulum per procuratorem vel syndicum possit, per tradita *Lib. 2. tit. 1. n. 42. Pirrhing ad banc Rubr. n. 8. in fine.* Si verò bona & jura propria prælaturæ, vel huic & Capitulo communia sint, super iis actionem vel defensionem judicialem suscipere Capitulum vel conventus non possit, per rationem supra allatam & dicta *l. cit.*

Excipiendus tamen est casus magnæ & notoriæ necessitatis; cùm enim, hac urgente, Ecclesiæ vel monasterii rem immobilem valeat alienare, multò magis pro ea agere vel respondere in judicio valebit, *Glossa in c. Edoceri 21. V. Debeant, de Rescriptis.*

Octavò, sede vacante Capitulum, licet Episcopo extraneo dare valeat licentiam in sua dioecesi Pontificalia exercendi, *vg. solenniter celebrandi, consecrandi Ecclesias, conficiendi Chrisme & confirmandi &c.* subditos tamen suos dioecanos ordinandi potestatem ipsi, aut his, si ratione beneficii recepti vel recipiendi arctati non sint, literas Dimissorias concedere intra annum à die vacationis inductæ non potest, ex decreto S. Synodi Tridentinæ *sess. 7. cap. 10. de Reformat.* ut dictum *Lib. 1. tit. 11. n. 75.*

Nonò, Capitulum Episcopo non succedit in concessione Indulgentiarum: de qua tamen potestate dubitandi ratio est; quòd illarum concessio, non Ordinis, sed jurisdictionis Episcopalis sit actus, *c. Quod autem 4. de Penit. & remiss.* nullusque extet Canon, quò eius ad Ca-



ad Capitulum transmissio difficilis reddatur. Ex qua ratione Indulgentias concedendi potestas Capitulo adstruitur à Sylvestro *V. Capitulum*, n. 10. Azor p. 2. *Instit. lib. 3. cap. 17. q. 9. Zerola Prax. Episcop. V. Indulgentia*, n. 2. & aliis contra Archidiacon, in c. 1. de *Pœnit. ac remiss. in 6. Sotum in 4. dist. 21. q. 1. art. 4. 5. Hinc fit*, Suarez *disp. 55. de Pœnit. 54. n. 5.* & alios, meritò dissentientes; quòd Capitulum Episcopo non succedat in potestate jurisdictionis, specialiter concessæ ipsius dignitati Episcopali: huic autem ita attributis Indulgentiarum concessio adnumeretur, c. *Accedentibus* 12. de *Excess. pralat.*

Neque Episcopatum Indulgentiarum carentia subditis diocesanis, sede vacante, justò difficilior est; quia illis per se non diu caret: & interea frui possunt liberaliter concessis à Papa & Episcopis antecedentibus, & istorum morte non expirantibus. Accedit; quòd ii etiam Doctores, qui illas largiendi potestatem adstruunt Capitulo, tutius esse asserant, si hoc nomine suo illas concedendi facultatem alicui Episcopo committat, ut notat *cit. Barbosa alleg. 88. n. 21.*

45. Decimò, Capitulum Episcopo non succedit in concessione licentiæ edificandi novum monasterium, *cit. Diana resol. 68. in fine, & Fermosin. q. 17. n. 16.* id de Vicario Capitulì, vacante sede, totam illius jurisdictionem exercente, à S. Congreg. Cardd. Trid. Interpp. 19. Januarii 1633. declaratum, asserentes; quòd Episcopalis licentiæ constituat formam, novi monasterii erectioni præscriptam *Constitutione Gregorii XIII.* quæ incipit *Quoniam*, edita 23. Julii, 1603. ut *Lib. 5. tit. 31. à n. 24.* plenius tradetur: formæ autem constitutiva per æquipollens nequeant adimpleri, l. *Qui per salutem* 33.

*ff. de Jurejurando Tiraquell. L. Connub. V. Express. n. 187.*

Undecimò, non succedit in jurisdictione, Episcopo ex speciali privilegio vel delegatione Apostolica competente; cum illi non succedat in ipsa dignitate, cui delegatio fieri videtur, Panormita in c. *Cum olim cit. n. 3. Decius in c. Quoniam* 14. de *Offic. deleg. n. 3. Quaranta in Summa Bull. V. Capitulum*, n. 1. §. *Quia in aliis* & alii apud Barbosam *Jur. Eccl. lib. 1. cap. 32. n. 104. & cit. Dianam resol. 2. sub cujus finem* id firmat Stylo Curie Romanæ: à qua dispensationes matrimoniales, vacante sede, etiam si id nominatim petatur, non Capitulo, sed viciniori alicui Episcopo committi solent

Duodecimò, neque etiam in potestate, quam variis casibus in exemptos Episcopus, præcisè tanquam sedis Apostolicæ delegatus, à Jure habet, ut insinuatum est n. 15. & *Lib. 1. tit. 29. à n. 9.* Nonnullos alios casus, quibus jurisdictione Episcopalis, vacante sede, ad Capitulum non transit, dabunt DD. *cit. & præsertim Barbosa cit. cap. 32. à n. 104.*

Ea etiam, quæ ad jurisdictionem & 48. administrationem Episcopalem pertinent, sede vacante, Capitulum non tractare per se, sed aliis committere tenetur, ex decreto S. Synodi Tridentinæ *Sess. 24. cap. 16. de Reformat.* quòd

Imprimis Capitulum penes se residentem spiritualium administrationem committere jubetur Officiali seu Vicario, intra octo dies post Episcopi mortem constituendo vel confirmando: cujus Officii declaratio data est *Lib. 1. tit. 28. art. 4. 1010.*

Deinde, licet antiquò Jure penes se 49. residentem rerum temporalium administrationem Capitulum per se ipsum communiter gerere, si vellet, non prohiberetur, modernò tamen, *Oeconomum unum vel plu.*

vel plures fideles ac diligentes decernere debet, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant, quorum rationes ei, ad quem pertinebit, sint reddenduri, cap. 16. cit. Quod statuendi ratio fuit; ne ex Capituli administratione communi Ecclesia, ut plerumque solet, in rebus suis facile pateretur detrimentum; cum magistro usu compertum sit, Naturali quodam Vitiò res, quæ communiter possidentur & administrantur, quasi non suas, neglectui communiter esse, l. *Memimus* 2. pr. V. *Naturale*, C. *Quando & quò* quarta deb.

Cura autem, quæ ejusmodi Oeconomo ex suo munere imminet, non est in eo, ut super Ecclesiæ rebus ac juribus moveat lites, aut jam motas ac pendentes prosequatur; cum litis super illis suscitatio & pertractatio, vacante Sede, interdita sit, c. *fm*, ut n. 40. est dictum: sed, ut ejusmodi res ac jura conservet illata sive in eo statu, in quo inductæ vacationis tempore fuerunt, & atq; colligat custodiat fructus ac redditus ejus, qui decessit, in

prælatura successoris, arg. c. *Chm vobis de de Offic. Ordin.* cui etiam exigenti administrationis suæ rationem reddere tenetur: licet eam Capitulo jam reddidisset, ex declaratione S. Congreg. Cardd. Interpp. apud Garciam p. 8. de *Benefic. cap. 7. n. 2. 3. declarat.* 11.

Demum, vacante Sede, constitui à Capitulo possunt judices Foranei ac Pedanei, alique Officiales & administratores, quos diocesis regimen exposcit: quorum & Oeconomi deputationi, licet certus terminus à Concilio præfixus non sit, ordinariâ tamen praxi à Capitulo, intra octo dies ad Vicarii electionem congregatis, alios quoque Officiales deputati contuevisse, testis est *Fermosin Tract. cit. q. 15. n. 13.* Cujusmodi foranei ac pedanei judices & Officiales alii, sede vacante, remoti, ad officii & administrationis suæ rationes reddendas, à Capitulo; officio verò sine remotione finito, à demortuo vel translato Episcopi successore compelli possunt: sicut de Vicario Capituli dictum est *Lib. 1. tit. 28. n. 78.*



## TITULUS X.

### De iis, quæ fiunt à Prælati sine consensu Capituli.

#### SUMMARIUM.

1. Consensus iste necessarius est ad rei immobilis vel pretiose alienationem:
2. Cui præmittendus est Tractatus Capitularis:
3. Sed fere unicus tantum:
4. Etiam, cum alienatur res Ecclesiæ conventualis.
5. Tractatum sequitur Capituli Consensus,
6. Expressus, si alienatio perpetua:
7. Saltem tacitus, si ea solum temporanea sit.
8. Con-